

3. Ut unusquisque confratrum et consorum Indulgentiam centum dierum lucretur, quotiescumque prefatam orationem recitaverint.

4. Ut iis Christifidelibus predictam orationem recitare nescientibus, supra enuntiatæ Indulgentiæ concedantur, dummodo tres *Pater, Ave et Gloria*, singulis diebus devote recitent.

EX AUDIENTIA SSMI, DIE 5 SEPTEMBERIS 1852.

SS̄mus D̄nus Noster PIUS divina Providentia PP. IX, referente infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario supra descriptas preces Episcoporum Concilii Plenarii Baltimorensis, necnon votum Ēmorum Patrum S. Congregationis, benigne in omnibus annuit juxta petita, atque Indulgentias juxta propositum tenorem in perpetuum concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

AL. BARNABO, *a Secretis.*



EPISTOLA

EMI PRÆFECTI S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM, DE EPISCOPIS
PER SUBSIDIA EX PROPRIIS DICECESIBUS JUVANDIS, ET
DE PRESBYTERIS ORDINES REGULARES INGREDIEN-
TIBUS.

ILL̄ME ET REV̄ME DOMINE,

RELATUM est in Plenaria Synodo pertractatum quoque fuisse de ratione aliqua ineunda ut ad onera sui muneris sustinenda Episcopi juvari possint subsidiis ex propriis dicecesibus. Aequum profecto id videtur. Quum tamen multiplex proponi methodus valeat, Antistitum sententia erit exquirenda: per Metropolitanos vero facile Amplitudo tua præstare id poterit. Supervacaneum tamen haud erit innuere Præsules Canadenses superiore anno ea de re pertractasse, cum proposuerint ut vel liceret accipere tertiam partem proventuum unius parœciæ, aut duarum parœciarum in dicecesi; vel quartam aut quintam partem, si inter tres aut quatuor parœcias divideretur onus; vel decimam partem reddituum, si inter plures, aut fere omnes parœcias supradictum onus divideretur, habita ratione circumstantiarum. S. Congregatio propositionem ultimo loco exhibtam censuit potius esse amplectandam, atque ad eum scopum, SS̄mo D̄no Nostro probante, in favorem Canadensium Antistitum fuit latum decretum.

Innotuit pariter aliquando evenire ut, absque licentia Episcopi, Presbyteri Missionibus addicti Ordines Regulares ingrediantur, unde gravissimum isthic oriri solet detrimentum ob sacerdotum penu-

riam. Dignosci etiam potuit haud vero Presbyteros titulo isthic carere, quo Ecclesiasticæ leges omnes præditos exigunt. Enimvero cum alii tituli haud facile isthic suppeterem valeant, tradita fuit potestas ordinandi ad titulum Missionis; absque enim titulo promoveri nemo valet ad sacros Ordines, eoque deficiente, suspensus eo ipso ordinatus intelligitur. Recolendum est insuper in facultate concedendi titulum Missionis requiri illud etiam, ut qui eo titulo instruatur edere debeat promissionem cum juramento inserviendi perpetuo Missionibus diœceseos. Nec demum est prætereundum inter decreta Concilii sexti Baltimorensis numero tertio peculiariter fuisse provisum quoad presbyteros qui regulare aliquod institutum ingredi velint, ut nimurum proprii Episcopi veniam assequi debeat: quumque decretum illud tertium probatum cum reliquis fuerit, diligenter erit servandum. Hactenus expositis regulis rite perpensis, atque in executionem deductis, facile Episcopi ea omnia poterunt componere, quæ ad suorum Ecclesiasticorum statum pertinent: referant vero si aliis regulis editis ulterius providendum videatur.

Hæc appendicis modo Amplitudini tuae erant significanda post ea quæ circa nuperrimæ Synodi decreta paulo antea rescripsi.

Precor Deum, etc.

Datum Romæ, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 23 Octobris 1852.

J. PH. CARD. FRANSONI, *Præf.*

AL. BARNABO, *a Secretis.*

ALTERA EPISTOLA

EMI PRÆFECTI S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA
FIDE, UNA CUM LITTERIS APOSTOLICIS DE NOVARUM
SEDIUM EPISCOPALIUM ERECTIONE, AD ARCHIEPISCO-
PUM BALTIMORENSEM MISSA.

ILLME ET REVME DOMINE,

QUOAD alteram Synodi Plenariæ partem respon-
sio tradi antea haud potuit: necesse siquidem
fuit documenta omnia Emis PP. exhibere, quæ hac-
tenus super gravissimo negotio pervenerunt, omni-
busque rite perpensis providere. Re tandem per-
fecta, quæ nuperrime statuta sunt Amplitudini Tuæ
aperiam: siquidem delegatio Apostolica pro universo
hoc negotio dudum tibi commissa fuerat. Actis ad
examen revocatis, illud adnotandum occurrebat ut
in iisdem Professio fidei juxta formulam a Pio IV
propositam inseratur, quæ in futurum pariter ab
omnibus emittenda erit, atque Actis similiter in-
serenda.

Ex adjectis vero Apostolicis litteris patebit
SSmum Dñum Nostrum, ex voto S. Congregationis
erectionem Sedium Episcopalium PORTLAND, BUR-
LINGTON, BROOKLYN, NEWARK, ERIE, COVINGTON,
QUINCY, S. FIDEI, NATCHITOCHES decrevisse: insu-
per Sedem Archiepiscopalem constitutam in urbe
S. FRANCISCI, cui suffraganea existat Ecclesia MON-
TEREGENSIS; demum Vicariatum Apostolicum pro
Peninsula superiori Status MICHIGAN constitutum.*

* Novæ Sedes Episcopales, de quibus hic agitur, presbyteris infra memoratis collatae sunt, nempe: *Portland*, Adm. Rev. D. Henrico B. Coskery; *Burlington*, Adm. Rev. D. Ludovico de Goesbriand; *Brooklyn*, Adm. Rev. D. Joanni Loughlin; *Newark*, Rev. D. Jacobo R. Bayley;